



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio LI. Christus præferens crucem, omnes fideles animat, ut & ipsi ferendo crucem, suam sequantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

*Que est Dei misericordia, si modo vitam tuam præteritam detestatus ad me conver-  
taris. Mansit obstinatus heu! ille miser, tum Christus iratus expressum  
de dextro lateris vulnere sanguinem in moribundi faciem projecions:  
Hic, inquit, Sanguis meus in die iudicii testis erit oblata tibi à me misericordia,  
quam contempsisti. Expergefactus hoc viso amicus accurrit; reperit mor-  
tuum, & faciem ejus recenti resperfam sanguine. O non sic,  
ò bone JESU apud me.*



## CONSIDERATIO LI.

Christus præferens crucem omnes fide-  
les animat, ut & ipsi ferendo crucem suam,  
sequantur.

*Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est  
me dignus. Matth. 10. 38.*

I.

**V**olebant quondam filii Prophetarum, qui ob sanctitatem vitæ  
& famam virtutis sequebantur ducem suum Elifeum, sibi  
nova construere tuguria, in quibus commodè habitarent, &  
DEO suo (tanquam primi Religiosi) inservirent. Et ecce  
dum ad Jordanem ligna secarent, accidit, ut uni illorum  
ferrum securis caderet in aquam. Et quid ille pauperculus? Clamavit  
ad Elifeum: *Heu, heu, heu Domine mi: & hoc ipsum mutud acceperam.* Et 1. Reg. 6. 5.  
quid Elifeus? *Præcidit lignum, & misit illuc: natavitque ferrum;* Angelus  
enim juxta mentem Abulensis, lignum ab Eliseo præcisum, & in ma- Abulens. hic  
nubrium adaptatum apprehendit, in fundum aquæ detulit, ferro inse- & alii.  
ruit, in altum extulit, ac securim ibi fluitantem sustentavit, donec  
eam lignator apprehenderet. Et quare hæc omnia? R. Facta sunt nobis  
in figura.

Elifeus Christum adumbravit, ferrum in profundum cadens pec-  
catorem, lignum illuc missum Dominicam crucem, per quam ex in-  
ferni barathro liberati & extracti sumus. Ita S. Augustinus: *Veniens* S. Aug. serm;  
vero *Elifeus misit lignum, & natavit ferrum. Quid est lignum mittere, & ferrum?* 210 de Temp.  
*Ginther Unus pro omnibus.* B b in



in medium producere, nisi patibulum crucis ascendere, & de profundo inferni humanum genus erigere, ac de omnium peccatorum limo per crucis mysterium liberare? Discipuli illi Magistrum suum Eliseum pro possibili secuti sunt; faciamus hoc & nos in sequela Christi JESU crucem ferentes; unde

Matth. 10. 38 nos monet: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.*  
 S. Hieron. 10. Et sanctus Hieronymus ad quendam Militem Nobilem: *Si Christum*  
 4. Ep. 24. *caperis sequi, & in ejus servitio perseveraveris militare, finis militia tua erit regnum non terræ & temporis, sed æternitatis & cæli.*

2. Cor. 6. 15. 2. Rectè Gentium Doctor Paulus: *Quæ conventio Christi ad Belial?*  
 Volebant hoc quondam evincere Philistæi, dum arcam Dei captam intulerunt in templum Dagon, eamque juxta hoc statuebant idolum; sed cum surrexissent diluculo Azotii: Ecce Dagon jacebat pronus in terra coram arca Domini, caput autem illius & duæ palmæ manuum abscissæ erant super limen: *Porrò Dagon solus truncus remanserat in loco suo &c.* Quæ conventio Christi ad Belial?

Apagite cum hoc immundo Dagone: *Non possim*, dicebat quondam B. Arsenius, *me dicere Deo & hominibus; non possum Regis gratiam & Dei simul aucupari.* Porrò unum est necessarium, ut DEUM sequamur & Filium ejus JESUM Christum cum illo libenter crucem nostram, quam nobis imposuit, usque ad finem fortiter, & quotidie portando.

Unde Thomas Kempensis: *Tolle crucem tuam, & sequere JESUM, & ibis in vitam æternam: præcessit ille bajulans sibi crucem & mortuus est pro te in cruce, ut & tu tuum portes crucem, & mori affectes in cruce.*

3. Chusai vir probus & egregius, ubi David Rex à facie Absolonis profugus in montem Olivarum ascendit, ut ibidem in tanto periculo adoraret DEUM, venit ad eum scissâ veste, & terrâ pleno capite, suam demonstrans fidelitatem & sequelam in adversis omnibus: *Eccè occurrit ei Chusai Araghites &c.* Observa hic cum Mendoza, non occurrit Regi suo triumphanti, sed exulanti, ut fidem suam etiam in adversis testaretur. En habes typum veri & sinceri Christiani; ad quid enim

2. Reg. 15. 52 Christianus es, nisi Christum ducem tuum sequi velis? Audi S. Chry-

5. Chrysost. in Psal. 7. *Chusai vir probus, Davidis amicus, suam in eum amicitiam perpetuò conservavit: Et cum nihil aliud posset, lacrymarum affert consolationem: non enim erat amicus temporum, nec potentia, sed virtutis.* Vides hoc, & pensas tepide

2. Tim. 2. 3. Christiane, qualem te exhibere debeas Christo, sub ejus cruento militans crucis vexillo? *Labera sicut bonus miles Christi JESU; ille præcedit cum cruce, & tu sine cruce vis venire ad cælum? Malus miles est, ait Seneca, qui Imperatorem gemens sequitur.*

4. Seba filius Bochri, vir Jemineus periculosam contra David subornavit seditionem, quia agrè ferebat regnum à Saule & tribu sua Benjamin



jamin ad tribum Juda, ex qua David oriundus erat, esse translatum; unde buccinâ cecinit, & ad se majorem populi partem attraxit, qui omnes jugo Davidico in gratiam hujus rebellis renuntiarunt; & observat Scriptura: *Et separatus est omnis Israël à David, secutusque est Seba filium Beshri: Viri autem Juda abhæserunt Regi suo.* Ecce quid possit unus homo rebellis, qui fuit typus Luciferi

Hoc prudentissimè consideravit, & annotavit S. Ignatius Societatis JESU Fundator gloriosissimus, unde omnibus de salute sua meditantibus præscripsit duo Vexilla, unum quidem D. N. JESU Christi, Regis nostri optimi, alterum verò Luciferi, hostis hominum capitalissimi. Uterque omnes ad se vocat sub suo vexillo congregandos; Lucifer offert divitias, honores, voluptates, & quid tandem infernum. Christus Rex & Magister humilitatis oppositis artibus diabolum expugnandum docet, & ipse suis præit cum cruce, exemplo paupertatis & humilitatis, vitamque promittit æternam: *Si quis mihi ministrat, me sequatur: Et ubi sum ego, illic & minister meus erit.* Et quis, obsecro, talem ducem non sequatur? *Vocat mundus, ait Didacus Stella, ut decipiat, vocat caro, ut sedet; demon ut perdat: accurritur undique. Vocat Christus, ut salvet; & pauci sequuntur.* O cœcitatem hominum plenè deplorandam! *Frustra, ait S. Leo I. appellamur Christiani, si imitatores non sumus Christi.*

5. *Quod me facere videritis, dicebat quondam Gedeon ad trecentos suos probatos & selectos milites, hoc facite: ingrediar partem castrorum, & quod fecero sectamini:* Et sic irruit cum illis trecentis de media nocte in castra Madianatarum, tubis, lagenis ac lucernis armatus, & universum illorum exercitum subvertit.

Gedeon liberator & victor, ait Cornelius & alii, Christi typum expressit. 1. Gedeon destruxit aram Baal: Christus Synagogam subvertit, & idola destruxit. 2. Gedeon purgavit frumenta in torculari in Christi manu ventilabrum est, ut purget aream suam, quod fecit, & etiamnum facit in torculari crucis, quod quotidie hic Biberbachii ad Thaumaturgum nostrum Crucifixum cernimus, & experimur: *Torcular calcavi solus.* 3. Gedeon omnes formidulosos de exercitu suo dimisit, & solum sibi trecentos egregios commilitones reservavit; Observa hic mysterium: Græca litera T. Trecentorum est nota, quæ exprimit crucis formam, in hoc enim signo Gedeon hostes suos superavit. 4. Gedeon cuilibet ex trecentis istis tubam dedit, vas testaceum & ignem: *Cumque per agrum castrorum in tribus personarent locis, & hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, & dextris sonantes tubas, clamaveruntque: Gladius Domini & Gedeonis.* Christus pugnans cum diabolo, morte & peccato, quasi tuba in cruento illo certamine exaltavit vocem



Hebr. 5 7.  
Math. 27. 50.

Luc. 12. 35.

Luc. 9 23.

Ex vita.

Sandæus in  
Stavro, h. lib.  
33. Tit. 4.

suam: *Cum clamore valido, & clamans expiravit in cruce, quia Verbum erat.*  
 5. Gedeon lagenas testaceas, in quibus ignis erat absconditus, confringi fecit: Lagena contracta, subintrat hic S. Gregorius M. humanitas Christi est, plagis confecta, & vulneribus plena. 6. Lucerna abscondita immensam Redemptoris nostri adumbravit charitatem, unde voluit, ut & *Lucerna ardentis* sint in manibus, imò & in cordibus nostris. 7. Gedeon mandavit, ut se præeuntem ad prælium & cæteri sequerentur generosi milites: hoc & Christus Dominus præcepit: *Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Collige ex hoc, quomodo possis de hostibus tuis, tum animæ, tum corporis triumphare.

6. Hoc fecit S. Ignatius Societatis JESU Fundator dignissimus, quem DEUS singulariter contra novos Madianitas & hæreticos expugnandos, quasi novum Gedeonem elegit, ut cum omni Societate sua ejusmodi sese opponeret lupis ac Sectariis. Natus hic erat genere Nobili Anno Christi 1491. Aulam & exinde militiam Catholici Regis secutus, in obsidione Pampelonensi ut Gubernator ex pede læsus Anno 1521. ex Lectione Vitæ Sanctorum respirans, asperrimam vitæ rationem cepit. Anno 1523. Hierosolymam ad loca sancta profectus, ter ibidem Christum gravi cruce oneratum videre meruit, & cum Romam peteret, in ædicula deserta à Christo crucem suam iterum bajulante audivit: *Ego vobis Roma propitius ero.* Anno 1540. Paulus III. Pontifex Maximus, plurimis se nequicquam opponentibus & contra nitentibus, Societatem ab Ignatio institutam confirmavit. Exinde orbis universus sanctiorem ubique induit faciem. Pro insigni & sigillo totius Societatis non aliud gentilitium scutum elegit, quam SS. Nomen JESU, tres clavos & supernè crucem eminentem, cui nonnemo hoc distichon subscripsit:

*Quisque sibi titulos, & que vult nomina querat:  
 Diva Cohors Domini sub cruce tuta latet.*

Tandem ipse virtutum omnium ornamentis excultissimus in cœlum abiit Anno 1556. ætatis 65.



CON